

320 ANNOT. HENR. GLAR. IN
IN C. IULII CAESARIS
COMMENTARIO
RVM DE BELLO GALLICO
librum VI. Hen. Glareani
annotationes. 1



HIC EST annus ab urbe condita DCCY. Cofs. Cn. Domitio Caluino, & M. Valerio Messala. Continentur autem in hoc libro hæc ordine, Bellum in Neruijs, Sehonibus, Carnutibus & Menapijs per ipsum Cæsarem, & in Treuiris per T. Labienum gestum. Deinde ut Cæsar in Germaniam ad Vbios profectus sit. Tum mores Gallorum & Germanorū, Sylvarum & bestiarum in Germania describuntur, & ut Cæsar persecutus sit Ambiorigem, ac Eburones diripuerit. Continentur & oppugnatio præsidij Romani in Ratuca oppido Eburonum, ubi priore anno Sabinus & Cotta hyberna habuerāt, quæ quidem oppugnatio facta fuit per Sicambros Germanos.

Duplicatioq; earum cohortium numero. 2

Tres legationes triginta habebant cohortes. Titurius autem quindecim amiserat: duplicatus igitur hic amissarum est cohortium numerus per tres legiones. Quare nunc decem legionibus pugnat Cæsar.

Adiunctis cisrhenanis. 3

In littore Gallico Germani occupauerunt multam regionem, ut ex 2. lib. patet, & in Ptolemaica item descriptiue.

Concilium in Lutetiam Parhisorum. 4

Parhisijs ad confluentem Matronæ & Sequanæ urbem habent Lutetiam quatuor millibus passuum sub eodem confluentem, quæ hodie eius regionis metropolis est.

Sylvam esse infinite magnitudinis. 5

De Bacenis sylua recte sentit nostra ætas, quæ eam putat esse, quæ hodie vulgò nigra dicitur, ab qua Bacenis plus mille et centum stadijs distat. Id autem quomodo ex ipsa Cæsare quis certo depre